

edere curavi; hæc eadem occasione ea quæ in appendice pag. 32. subsequuntur, à viro Illustri et Historiæ Naturalis cultore felicissimo ex Cimbria transmissa, nec non propria errata addidi. Restat jam, ut tam ipse Tractatus quam hæc Appendix Tuo æquo benigneque subjiciantur judicio. Errores, quos libenter confiteor bene multos, facile condonabis, si me autodidactum interpretibus destitutum consideraveris. Si vero quædam forsàn Tibi arrideant, sufficiat hoc pro magno incitamento in ejusmodi studiis, quæ ad cognitionem naturæ et ejus gazas perscrutandas ducunt.

Museum avium quod hisce ansam dedit, et cujus descriptio intra breve tempus prodibit, continet, inter alias aves ignotas vel dubias, veram Skuam Høyeri, Catarractem nempe Willughbeji, Raji & Sibbaldi, simulac Catarractam Aldrovandi: ex hisce avibus novum genus sub nomine Catarractis conficere tento, et ob rostri et unguium convenientiam Larum parasiticum ex genere larino in genus Catarractis transferre, si non satis audacter, meditatus sum. Observationes ex Vespertilione Vampyro oculari inspectione desumptæ heic Tuis sistuntur oculis. Hæc cum reliquis, si placent, plura amplius aggrediar, ut tali modo via ad Te Tuosque Lares semel aliquando mihi facilius pateat.

Hisce meis conatibus fave et Fautorem mihi, si votis respondeant fata, quondam præsentem, Te præsta, sic promoventur studia mea et me habebis semper

	Tanti Nominis
Hafniæ	cultorem observantissimum
in Colleg. Elersiano	M. Th. Brünniche
d. 1. Junii A° 1763.	

(39) Viro Generoso et Illustrissimo  
Equiti Aurato

Occasionem hanc nactus optimam, Generosiss: Comitiss de Moltke iter ingredientis gratiosum officium in transportandis, quæ Tibi mittenda haberem, offero jam Tibi Vir Generose! meum in cognitione insectorum specimen, Ento-